110

DISPVTATIO JVRIDICA,

DE

MOLENDINIS BANNARIIS,

Von Zwang-Mühlen/

QVAM,

IN INCLVTA ACADEMIA MARBVRGENSI,

SVB PRAESIDIO

DN. JOHANN. WILHELMI WALDSCHMIEDT,

V. J. D. PROFESSORIS JVRIS ET PHILOSOPHIAE PRACTICAE ORDINARII,

PVBLICAE VENTILATIONI

AD DIEM XVI. NOVEMBR. ANN. MDCCXVIII.

SVBMITTET

A. & R.

JOHANNES GRIMM,

Hanovienſis,

MARBVRGI CATTORVM,

Literis, PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typogr.

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. D. B. V.

DISSERTATIONIS DE MOLENDINIS BANNARIIS

§. I.

Argumentum ſelectum Juri Germ. vindicatur.

JUra molendinorum in Regionibus Germaniæ, non è peregrinis, ſed domeſticis Legibus, & univerſalibus & particularibus, æſtimanda eſſe, B. Dn. Beierus in *Specimine Juris Germanici* (a) veriſſimè judicavit. Quanquàm enim Germani Jus Canonicum & Romanum civitate ſua donaverint, id ipſum tamen nunquam ità factum eſſe, ut patria Jura uno velut actu & ictu eliminaverint, hodie ferè in confeſſo eſt. Plurima quoque inſtituta, quibus Germani utuntur, ità comparata eſſe, ut Jura exotica iiſdem vix conveniant, res ipſa

(a) Exhibet illud primas lineas Juris Germanici, quod, in artis formam redactum, B. Dn. Autor promiſerat, & Orbis Literatus avidè hactenus expectavit; nunc, dum fata ipſius prrematura hanc ſpem interceperunt, ea Juris Germanici capita hîc unicè ſiſtuntur, quæ, quòd Juri Romano non adeò affinia ſint, in Academiis ſeorſim vix docentur, in foro tamen quotidie vertuntur; interque illa *Lib. 2. cap. 7. de jure molendinorum* agitur.

ipſa loquitur. Si quis, cum M. Craſſo (b) hodienum aſſerere vellet, *omne Jus civile, præter illud, quod Romanum audit, inconditum, ac ferè ridiculum eſſe*; is, quod Craſſus non ſine inſigni arrogantia dixit, pari imprudentiâ applicaret, parum cogitans, eas demum Leges prudentiſſimas eſſe, quæ Reipublicæ, in qua obſervari debent, accommodatæ, & ad ſtatum illius pleniſſimè directæ ſunt. Molendina certè, quod attinet, eorum Jura ex Legibus peregrinis, in Germania perperam dijudicari, facilè apparebit, ſi quis ea, quæ ſub innumeris ferè ampliationibus & limitationibus Heringius in prolixo *tractatu de molendinis*, aliique certioribus fundamentis deſtituti, protulerunt, cum iis, quæ Beierus pauciſſimis poſitionibus comprehendit, ſed principiis ſolidioribus ſuperſtruxit, conferre inſtituat. Nos, dum pro Specimine Academico, thema de *molendinis bannariis* ſelegimus, eorum veſtigia ſequemur, (c) qui præter regulas æquitatis naturalis & argumenta, quæ Jus Romanum in hâc materiâ ſuggerit, pro ratione circumſtantiarum inde deſumenda, ad indolem Re-

(b) Apud Ciceronem *Lib. I. de Oratore.*

(c) Ut ingenuè profiteamur, per quos in elaboratione thematis præſcripti proficere datum ſit, allegato Specimini Dn. Beieri, tum & Dn. Sam. Stryckii *Diſſertat. de Jure probibendi exſtructionem molendini*, quæ *in Volum. I. collectionis noviſſima*, XXVI. eſt, nec non Dn. Hertii *Diſſertat. de Superiorit. Territoriali* nos plurimum debere, ultrò agnoſcimus. Quæ verò Heringius *d. Tract. Quaſt. XI.* Petrus Müllerus *in Diſput. de molendinis in genere, & in ſpecie de Bannariis, Jenæ anno 1678.* habitâ, nec non Leiſerus *Juris Georgici Lib. III. cap. 15.* (qui tamen ex Bornii *Diſſertat. de eo, quod juſtum eſt circa molendina*, ſua deſumſit) aliique protulerunt, anſam magis dederunt, aliena à domeſticis ſeparandi, quàm ut ſolida principia nobis ſuggeſſerint.

lem Reip. Leges &. mores Germanorum; aſſerta ſua compoſuerunt. Annuat propoſito DEUS T. O. M. faveatque Lector!

§. II.

Molendini Bannar. definitio nominalis, & realis.

De *Molendinis bannariis* diſſerturi, verborum ſignificationi, operosè non immorabimur. Etenim, nomen *molendini* quod attinet, quid eô denotetur, ii, qui *de molendinis* in genere ſcripſerunt, prolixè jam expoſuerunt. (d) Inſtitutum ipſum quoque in vulgus adeò notum eſt, ut ejus appellatio unicuique definitionem ſuâ ſponte ſuggerat; & inter varias eorum diviſiones, à principio movendi, nec non ab objecto petitas, nemo, niſi cavillationibus indulgere velit, quænam lemmati præſcripto conveniant, in dubium vocare poſſit. Cur verò molendina illa, de quibus agere inſtituimus, *bannaria* vocentur, paucis indicabimus. *Bannum, bannire* vocabula eſſe origine Germanica, terminatione Latina, agnoſcunt omnes, quotquot verba latino barbara dilucidare hactenus allaborârunt. Iidem varias eorum ſignificationes expoſuêre, (e) èqui-

(d) Conf. Hering. *de Molend. Quæſt. 3.* Müllerus *d. Diſſertat. Cap. 1.*

(e) In iis conquirendis du Frêne in *Gloſſar. Lat. barbaro* v. *bannum.* Spelmannus *in Gloſſar.* Lindenbrogius *in Gloſſar.* Olivarius Vredius *Hiſtoria Comitum Flandriæ Lib. Prodromo II. cap. 20.* & alii deſudârunt. Potiores earum ſunt ſequentes: primò idem denotat ac ſuperioritas, Juriſdictio, Judicium, vid. Stryck. *de Juriſd. circumſepta cap. 1.* Winckelmann. *Hiſtor. Haſſ. pag. 497.* ubi ex literis inveſtiturarum ſuper Haſſiæ Principat. hæc verba adducit: mit obern und niedern Gerichten / Freyſtühlen / und dem Bann über das Blut zu richten / Geiſtlichen und weltlichen Zwin-

è quibus illa potiſſimùm inſtituto noſtro convenit, quâ *bannus* vel *bannum* citationem, edictum, proclama, & *bannire*, citare, edicere, proclamare, ſancire, denotant. Exinde enim judicia illa, in quibus ſubditi comparere tenentur, bannita dicuntur, id quod ex antiquiſſima Francorum lege, Keure⸗Brief dicta, Olivarius Vredius (f) comprobat, ubi verba: *ex quo* Vierſcarna *bannitum fuerit*, exponit, *quando judicium indictum & coactum fuerit*. Planè uti hodienum his in oris illi Judiciorum Rugiorum dies gebannete Tage dicuntur, in quibus ſubditi certi alicujus diſtrictûs omninò omnes comparere tenentur. Eâdem, inquam, ratione, & *molendina* illa *bannaria* dicuntur, *ad quæ integræ communitates, pagi, certiq; diſtrictûs incolæ, pro frumento ſuo conterendo accedere tenentur, &, ne ejus rei causâ aliò divertant, legitimis mediis compelli poſſunt.* Germanicè Bann⸗ vel Zwang⸗Mühlen/ audiunt

---

Zwingen/ Bannen/ &c. Secundò *bannire* idem eſt, ac citare, ad militiam inprimis, ità Gregor. Turon. *lib. 2. cap. 20. omnes leudes ad exercitum banniti ſunt.* Tertiò edictum civile & militare deſignat, & *bannire* eſt edicere, ſtatuere, proclamare; ità in decreto Childeberti Regis, Legi Salicæ ſubjuncto, apud Lindenbrog. *Cod. LL. antiqu. pag. 347.* legitur: *bannivimus, ut unusquiſque judex* &c. Hinc & trinæ denunciationes nuptiales *banna* dicuntur, *cap. 27. X. de ſponſal.* Quartò pœna violati *banni* ſeu edicti, & ipſa *bannum* dicitur, vid. Gailius *de Pace P. Lib. 2. cap. 1.* Add. Springsfeld *de Apanagio cap. 1. num. 14.*

(f) *d. Lib. 2. cap. 23. p. 448.* ibi: *Vierſcarna vetuſtiſſimâ Francorum linguâ idem eſt, ac placitum, mallus & mallobergium, videlicet & locus ipſe, & actus judicii. Nominis ratio eſt à* vier *i. e. quatuor, &* Scare/ *i. e. turba, conventus, quod in judiciis hæc quatuor ſint neceſſaria, actor, reus, teſtes & judex.* (quam derivationem tamen noſtram facere non poſſumus) Gebannete Vierſcare/ *autem eſt Judicium legitimè convocatum & coactum &c.*

Digitized by Google

audiunt, darinnen gantze Dörffer/ und Gemeinden/ oder gewiſſe Einwohner mahlen müſſen. (g)

§. III.

Eorum exiſtentia.

Dari ejuſmodi *molendina bannaria*, & monumenta antiquiora, & exempla hodienum paſſim obvia, neminem dubitare ſinunt. Jam tum in chartis & diplomatibus ſeculi XIII. furnorum & molendinorum bannariorum mentionem fieri, H. Valeſius (h) obſervavit. Cum eodem inſtituto maximam affinitatem habet, ſic dicta *ſecta* ſive *ſuita ad molendinum*, i. e. *ſervitium illud, quo feudatarii grana ſua ad domini molendinum, ut ibi molerentur, perferre, ex conſuetudine quorundam locorum adſtricti erant*, prout ex Scriptoribus Anglicanis du Frêne (i) probatum dedit. Nec minus in Germaniæ Regionibus hodienum frequentiſſima hujuſmodi molendinorum proſtant exempla, quin & per integrum territorium alicubi obtinere, ut ſubditi cujuſque territorii non niſi uſitata molendina viſitare queant, ex infra dicendis apparebit.

§. IV.

Jus Molendini Bannar. in dubio non præſumitur.

In eo quoque conveniunt omnes, jus hoc cogendi alios ad certum molendinum adeundum in dubio non præſumi; in tantùm, ut licet quis per tempus immemoriale certum molendinum frequentaverit, dummodo, alibi moliturus, non fuerit prohibitus, nec in prohibitione iſtâ acquieverit, alteri nullum jus inde acquiratur. Quam in rem celeb. Mevius (k) graviter ità diſſerit: *viſitare molendina actus meræ facultatis eſt, in quo, per libertatem naturalem, unicuiq; relictum eſt, quod expedire videtur, ac placet*

(g) Add. Beſoldi *Theſaur. pract.* verbo Bann. (h) In *præfat. Notitia rerum Francic. pag. 17.* (i) In *Gloſſar. latino-barb.* verb. *ſecta*, (k) *Part. 1. Deciſ. 60.*

Digitized by Google

placet: ideò nec per nudam viſitationem molendini alicujus continuam, & per ſecula aliquot continuatam præſcribitur contra libertatem, nec jus inde molitori, aut domino ad prohibendum naſcitur. (l) Et ſanè, cùm naturaliter unicuique jus competat, actiones ſuas, Legi Naturæ conformes, pro arbitrio, ſinè impedimento alterius dirigendi; eâdem libertate, ut frumenta ſerere, demetere, excutere, ità quoque eadem in farinam redigere, hoc vel illud molendinum adire, aut non adire, libero cujuſque arbitrio relictum erit. Indeque molendinum accedere, rebus *meræ facultatis*, quas vocant, omninò accenſendum. Eadem præſumtio libertatis & hoc operatur, ut is, qui bannum molendinarium ſibi aſſerit, in judicio contradictorio illius conſtitutionem regulariter probare teneatur, etiamſi in quaſi poſſeſſione juris aſſerti conſtitutus ſit, ubi enim primævus naturæ ſtatus quaſi poſſeſſioni repugnat, hæc ſola quaſi poſſidentem ab onere probandi hactenus non relevat, illius quoque non eſt probare, pro quo præſumtio militat, *l. 25. pr. ff.* & *l. 16. in f. C. de probat.* (m)

§. V. Aſt

(l) Add. Klock *Volum. I. Conſil. 18. num. 35.* Menochius *Lib. I. præſumt. 20.* Marburgenſes *Volum. IV. Conſil. 38. num. 10. & ſeq.* Modeſt. Piſtor. *Lib. I. Quæſt. 36.* ubi ſupra dicta ampliantur, licet ſubditi fuerint, & ad molendinum Domini ſui per longum tempus iverint: etiamſi quis cum jure molendinum extruendi, aut molendino jam extructo inveſtitus ſit, quod inde tamen nullum jus cogendi alios inferri poſſit; tum & quòd poſſeſſor molendini cujuſcunque, qui molitores & ſervos ſuos in proximam civitatem vel pagum mittere conſuevit, ad inſtantiam molitorum illius loci prohiberi nequeat &c.

(m) Conf. Hertii *Diſſertat. de quaſi poſſidente probante*, ubi præfatam regulam pluribus adſtruit, ab objectionibus liberat, & exceptiones ſuggerit, in quibus officium ſuum perdit.

Digitized by Google

§. V.

Aſt enim verò, cùm ea, quæ facultatis naturalis ſunt, mutari atque reſtringi poſſint, idque non ſolùm per diſpoſitionem propriam, & inde ſubortam juris translationem, ſed vel maximè etiam per legem ſuperioris. Inde que in Civitatibus frequentiſſimè contingat, ut ea quæ juris imperfecti, ad ſpecies juris perfecti ab Imperante transferantur; & juri perfecto viciſſim remedia coactiva, vel omnia, vel nonnulla ſubtrahantur; tum & præcipiatur, aut prohibeatur, quod antea permiſſum & indifferens erat. Eâdem, inquam, ratione, & libertas molendinum pro arbitrio eligendi, in ſocietate civili non raro reſtringitur, certiſque legibus, conditionibus & pactis adſtringitur. In eâque reſtrictione *molendina bannaria* ſe fundant, de quorum conſtitutione (ad Regiones Germaniæ unicè intenti) nunc porrò dicemus. Acquiritur autem in iis *bannum molendinarium* (1.) autoritate Principis, ex Lege publica, aut privilegio, (2.) ſtatutô Magiſtratus, (3) pactô, & denique (4.) præſcriptione.

De modis quibus libertas molendinum adeundi reſtringitur in genere.

§. VI.

Quòd Regionum Domini, ſubditorum conſenſu accedente, *molendina bannaria* conſtituere poſſint, nemo temerè in dubium vocabit. An verò iidem, ſubditis vel invitis, hujuſmodi coactionem Lege publicâ, aut privilegiô decernere valeant, non æquè expeditum eſt. Etenim, quod primô locô memorandum, B. Dn. Hertius, Vir Publici privatique Juris conſultiſſimus diſertè ſcribere (n) non dubitavit: *quòd nova ejus generis jura* [de regalibus minoribus locutus erat] *ſinè conſenſu ſubditorum inducere fas &*

Utrum Regionum Domini, ſubditis vel invitis, bannum molendinarium inducere valeant?

(n) *De Superioritate Territ. §. 54.*

ſas & æquum non permittant, *v. gr. ut ſubditi definitis in locis molere, pinſere, aut vinum cereviſiamque emere cogantur.* Nec minus ſupra laudatus Mevius *d. Deciſ. 60.* ità pergit: *facere id jus Regum, ſeu Imperii, ut ſubditi in molendinis dominorum molere cogantur, alienum eſt & à jure communi, quod nunquam inter Regalia, ſeu Imperii Jura id retulit, & à conſuetudine Germaniæ generali, & à moribus Provinciæ ſpecialibus, & à ratione, quæ nec Superioribus coërcitionem permittit ſinè delicto, aut coarctationem libertatis ſinè neceſſitate Reip.* &c. In eandem ſententiam & alii, ſtatutum quô ſubditi certo in loco molere cogantur, vim juris habere negârunt (o) in tantùm, ut adverſus hæc talia ſtatuentem, actionem efficacem ad libertatem, ſublato mandato, ſubditis reſtituendam, non his ſolùm, ſed omnibus, quorum intereſt, ſi vel maximè ſubditi acquieſcerent, competere affirmàverint. (p)

§. VII.

Affirmativa defenditur.

Sentiet procul dubio L. B. aliquid eos dicere, qui hæc cauſântur, ità tamen ut rem omnem nequaquam expediant. Eóque quæſtionem ſupra propoſitam, ſub certis rationibus affirmare, nulli dubitamus. Et *primò* quidem, illud denuò in confeſſo ponimus, quod nemo facilè negabit, ſicut Imperantibus aliis, ità quoque Regionum Dominis, in quantum aliud non obſtat, jus competere, facultates ſubditorum naturales reſtringendi; ſinè hôc enim ſi foret Princeps, nihil ipſi relictum foret, de quo Leges

(o) Vid. Roſenthal *de feudis cap. 5. concl. 26. num. 1.* Köppen *Lib. 1. Dec. 19. num. 5.* Hering *d. Quæſt. XI. num. 76.*

(p) Conf. Rauchbar *part. 1. quæſt. 27.* Köppen *Lib. I. Obſ. 69. num. 5.* Lancelot. *de Attentat. part. 2. cap. 1. ampl. 14. num. 1.* & Carpzov. *p. 2. C. 4. Def. 11. num. 5.*

Leges ferret, cùm negotia Jure Naturæ jam definita, extra ejus arbitrium ſint. (q) Accedit *ſecundò* quòd, in Regionibus Germaniæ, jus ipſum, nova molendina exſtruendi, ejuſque licentiam aliis concedendi, Regalibus omninò annumerandum ſit. Quanquam enim de Jure Naturæ (quô ea, quibus utilitas vel commoditas vitæ humanæ quâcunque ratione promovetur, licita apparent,) molendinorum extructio, ex mero cujuſvis beneplacito dependeat: idemque de Jure Romano, (in quantum hæc facultas ſpecialiter reſtricta non apparet, nec alterius conditio inde deterior redditur,) omninò affirmandum ſit; (r) Attamen quoad mores Germaniæ, aliud dicendum eſſe, complura perſuadent: præterquam enim, quòd forma & indoles Reip. à veteri Rom. longe diverſiſſima, deciſum ex Jure Romano petere, haud permittant: inter omnes, ipſos quoque diſſentientes (s) in confeſſo eſt, flumina & quoad proprietatem, & quoad utilitatem ad Regionum Dominos ſpectare, ut proinde ſubditi, iis inconſultis, vel invitis, in fluminibus nihil hactenus ſuſcipere poſſint, ex quo notabilis aliqua utilitas ipſis obveniat, illiſque decedat. Idem porrò & antiquiora exempla ac teſtimonia comprobant, è quibus conſtat jam dudum olim, quin & ſerius adhuc præfatum jus Imperatores, imò & Principes

 non-

(q) Eoque pertinet Ziegleri illud, *de Jur. Majeſtat. Lib. I. cap. 5. §. 48. quicquid natura nec juſſit, nec prohibuit, ſed indeterminatum reliquit, id à Magiſtratu pro lubitu præcipi, aut prohiberi poteſt.*

(r) Argum. *l. 3. ff. de Oper. publ. l. 1. §. 11. l. 24. §. fin. l. 26. ff. de aqua & aqua pluv. arc. junctâ l. 21. C. mandati.* (s) Vid. Ziegler *d. l. §. 19.*

nonnullos exercuiſſe, (t) unde conſequitur id ipſum hodie Regionum Dominis multò magis aſſerendum eſſe. Inprimis cùm DD. fide digniſſimi, unô velut ore de hâc obſervantiâ Imperiali teſtentur, (u) eamque exempla his in oris paſſim obvia comprobent; nec minus Regionum Domini feudi jure, tum & per modum privilegii jus extruendi molendina aliis concedant. (x) Ex his verò, aliiſque argumentis aſſerere nulli veremur, Regionum Dominos, juſtis ex cauſis *molendina bannaria*, & pneumatica & aquatica, Lege publicâ inſtituere poſſe. Juſtas autem cauſas reputamus, imperioſam neceſſitatis rationem, utilitatem publicam, ſinè notabili ſubditorum incommodo, ſumtus in ædificationem molendini, ſubditorum commodo impenſos, eorum proterviam, & quæ ſunt alia.

§. VIII.

Et ab objectionibus liberatur.

His præſtructis, (y) ea, quæ *ſupra §. 6.* adduximus, cùm ſententia, quam amplexi ſumus, facilè componi poterunt, aut certè eam non infringent. Primò enim veriſſimè,

---

(t) Vid. Hertius *de Super. Territ. §. 47.* ubi inter alia complura teſtimonia, diploma allegat, quô anno 1394. Albertus Comes Palatinus, Dux Bavariæ, Comes Hannoviæ Civitati Harlem & oppidanis, *ventum molarum* conceſſit.

(u) Vid. quos allegavit Stryck. *de jure exſtruendis molendinum, cap. 1. §. 6.* ubi etiam diſſentienti Ziegiero, ſi vel maximè quoad Saxoniam eidem concedamus, ex aſſe fecit ſatis.

(x) Tantò magis mirari ſubit B. Dn. Beierum his omnibus non attentis, *d. cap. 7.* in contrariam ſententiam propendere.

(y) Reliqua argumenta quibus DD. pro affirmativa adſtruenda utuntur, v. gr. à jure tributa imponendi, ab homagio quod ſubditi præſtant, ab aliis oneribus, quibus ſubjici poſſunt, petita, ſponte omiſimus.

Digitized by Google

veriſſimè judicavit Hertius, quòd jus molendina bannaria inſtituendi, ſimiliaque jura alia, in ſe ſpectata ex Superiorite Territoriali non profluant, & hactenus Regalibus annumerari nequeant. Aſt eô non obſtante, Regionum Dominis jus competere, & hujuſmodi actiones ſubditorum ad finem Reip. publicamque ſalutem dirigendi, ecquis negabit? Salutis & utilitatis publicæ rationibus omninò innexum eſt, ut molendina publica in ſuo flore perſiſtant, & ex promiſcua libertate molendina eligendi, variæ defraudationes, turbæ, & confuſiones oriri poſſunt. Ad hæc talia verò conſenſum ſubditorum requirere, Imperantium autoritati derogaret, & ſæpenumerò fruſtraneum foret, cum ſubditorum inobedientia, protervia, æmulatio, ſic nunquam prætextu aliquo deſtituerentur. (z) Pariter *ſecundò* & Mevii aſſerta ſententiæ noſtræ non adeò adverſantur: quando enim conſuetudine Germaniæ univerſali, obtinere negat, ut ſubditi in molendinis Dominorum molere cogantur, inde non ſequitur, id ipſum nec inſtitui poſſe. Et ſi vel maximè in nonnullis Regionibus diverſum obtineat, viciſſim tamen complura exempla in promptu ſunt, banni molendinarii per Le-

(z) Quam in rem Stryckius *in Diſput. de jure æmulationis cap. 3. num. 17.* ità diſſerit: *Subditi ex æmulatione & petulantia præteritis molitrinis domeſticis, aliena adire non poſſunt, Köppen Deciſ. 19. num. 10. Rutgers. Ruland. de Commiſſ. p. 4. l. 2. c. 13. num. 13. malitiis enim ac inobedientia ſubditorum, nullum probabile intereſſe habentium, minimè eſt indulgendum, ne protervia hac tandem in contemtum & ſeditionem erumpat:* addit *cap. 5. num. 23. Dominum ſubditorum æmulationem propriâ autoritate coërcere poſſe, eoque pertinere, quæ in Capitulat. Leopoldina §. 3. diſpoſita leguntur.*

Digitized by Google

per Legem Superioris inducti. *(a)* Quod addit Mevius, ſine juſta cauſa tale quid fieri non poſſe, id ipſum virtute & officiô Imperantium jam tum continetur, in eôque facilè nos conſentientes habet, modò viciſſim diſſentientes largiantur (quod Mevius fatetur) Lege aut conſuetudine molendina bannaria conſtitui poſſe. Reliqua, quæ in contrarium moveri ſolent, vel in hypotheſi ſe fundant, quod molendina extruere unicuique liberum ſit, quam tamen moribus Germaniæ non convenire ſupra jam præoccupavimus (b) vel regulis generalioribus, de libertate actionum humanarum unicè innituntur.

§. IX. Si-

(a) Quid in Haſſiæ Regionibus obtineat, ex Conſtitutione MAURITII, glorioſæ memoriæ, *Haſſiæ Landgravii*, anno 1615. Caſſellis publicata, apparet, ibi: Damit auch unſere Mahl-Werck durch das Ausführen der Früchte/ auf anderen Möhlen zu mahlen/ nicht geſtöret werde; als wird hiermit gäntzlich verbotten keine Frucht aus der Statt/in anderen Möhlen zu mahlen/ bey Verluſt der Frucht zu fahren. Et in der Gerichts-Ordnung Principatûs ad Lanum, §. 26. generaliter cautum: Als auch beym Mahl-Werck allerhand Unordnung eingeriſſen/ ſo ſoll männiglich avertirt/ und bey Verluſt der Früchte/ auch Geld-Straffe verbotten ſeyn/ in keiner anderen Mühle dann dahin er beſchieden/ und von Alters hero verordnet iſt/ zu mahlen. Pariter & in *Comitatibus Hanovico & Iſenburgico*, omnia molendina ad *Illuſtriſſimos* REGIONUM-DOMINOS pertinentia, bannaria eſſe, ità ut ſubditi cujuſque diſtrictus, in molendino ipſis aſſignato, molere teneantur, & ſub pœnâ aliò divertere nequeant, relatione fide digniſſimâ accepimus.

(b) *§.* VII. Et quanquam Köppenii ibidem allegati teſtimonium, in dubium vocet Lyncker *Deciſ. 567.* id ipſum tamen, ex iis quæ Stryckius *d. Diſſert. de jure prohibendi extructionem molendini* protulit, abundè confirmatur, indeque & Mevio *p. 9. Deciſ. 72.* ſatisfieri poteſt.

§. IX.

De banno molend. per modum privilegii conceſſo.

Sicut autem Lege publicâ, ità quoque per modum privilegii bannum molendinatium noviter inſtitui, vel antea jam inſtitutum, aliis feudi jure (c) ſimilive titulô ab Imperante conferri poſſe, res ipſa loquitur, modò tamen & hîc juſtæ adſint rationes ſubditorum libertatem reſtringendi. Utrobique etiam & illud requiritur, ut jus tertii inde non lædatur; neque enim beneficia in cujuſquam injuriam tribui debent, *l. 4. C. de emancip. liber.* & quòd ratione ejuſmodi banni noviter introducti, tertius, in cujus præjudicium prohibitio facta, contradicere, eamque impedire poſſit, rationibus & præjudicio confirmat Carpzovius *part. 2. Conſt. 4. Def. XI.* (d)

§. X.

Utrum molendina bannar. ſtatuto Magiſtratus inſtitui poſſint?

Quanquam verò Magiſtratuum poteſtas omninò omnis, dependens ſit, & alterius auſpiciis exerceatur, atque adeò, ut in reliquis, ità quoque circa moderandas civium actiones multò anguſtioribus finibus includatur, quàm eminens iſta facultas, quâ pollent illi, penes quos τὸ κῦρι-ον: eô tamen non obſtante, & Magiſtratum municipalem, publicæ neceſſitatis vel utilitatis intuitu, ſtatuere poſſe, ut cives non aliis molendinis, quàm publicis & ad civitatem pertinentibus utantur, Bornius (e) cum allegatis Dd. defendit. Et ſanè, prout aliâs in civitate ſua de rebus admini-

(c) Exemplum ex Hugonis Flavini *Chronico*, *pag. 132.* adduxit Bornius de eo, *quod juſtum circa molend. cap. 5. §. 7.* ubi feudi jure conceduntur *molendina quatuor, cum banno ipſius villæ.*

(d) Conf. Lehmann. *Chron. Spir. Lib V, cap. 84.*

(e) d. Diſſert. *de eo quod circa Molend. juſtum eſt cap. 5. §. 10.* ubi & Carpzovio *Lib. I. Reſp. 43. num. 5.* Heringio *Quæſt. XI. num. 76.* aliiſque diſſentientibus ſatisfecit.

adminiſtrationem bonorum, aut juriſdictionem concernentibus, ſtatuta condere poſſunt, eodemque jure illa inprimis ordinant, quæ res venales, & ad victum civium pertinentes attinent, v. gr. Brauer- Becker- Fiſch- Marck Ordnungen (modo nihil ſtatuant (f) contra jus, & præeminentiam ſuperioris, aut publicam utilitatem) indè nulli dubitamus ejuſmodi circumſtantias incidere poſſe, quæ, ut, libertas civium molendina extra civitatem adeundi, circumſcribatur, poſtulent & efficiant. De cætero non omnes Civitates Germaniæ mediatas, eorumque Magiſtratus, æquali jure uti, nec libertate ſtatuta condendi peræquè gaudere, non eſt quod moneamus. (g)

§. XI.

Quomodo per pacta inducantur.

Succedunt pacta, quibus intervenientibus *bannum molendinarium* ut plurimùm conſtituitur; hæc ſive cum Imperante ipſo, ſive cum aliis ineantur, idem robur obtinent. (h) Sicut enim de aliis juribus, ità quoque de libertate actionum ſuarum per pacta diſponere, & jus ſuum in alium transferre, cuique integrum eſt. Qui *l. 61. ff. de pactis* in contrarium allegant, (i) fluctus hîc in ſimpulo movent, & quando ibidem dicitur, *neminem paciſcendo efficere poſſe, ne liceat locum ſuum dedicare, aut rem ſuam*

(f) Qualia *decreta* civitatum municipalium *ambitioſa* vocantur in *l. 4. ff. de decret. ab ord. fac.* add. Schilter. *Exerc. ad ff. 50. th. 34.* ubi an & quomodo ejuſmodi decreta municipalia à ſtatutis civitatum mediatarum differant, diſquirit.

(g) Conf. Stryckii *Differt. de Jure Principis circa rationes civitatum* cum allegatis.

(h) Conf. Grotius *de J. B. & P. Lib. II. Cap. 14. §. 1.*

(i) Vid. Socinus *lib. 2. Conſil. 272.* Caſtrenſis *Conſil. 144.* aliique apud Heringium *d. quæſt. XI. num. 40.*

Digitized by Google

ſuam alienare &c. non de conventione omni, (k) ſed tantùm de pacto nudo ſermonem eſſe, ex *l. 11. ff. de relig.* apparet, ubi in ſimili caſu, ad hæc talia *pactum non ſufficere, ſed ſtipulatione caveri oportere* JCtus pronunciat, (l) rationem verò *l. 27. §. 2. de pactis* ſuggerit, *quia in ſtipulationibus jus continetur, in pactis factum verſatur,* hôc ipsô innuens, pacta nuda, *jure* (illo ſcil. in quo efficacia Juris Rom. conſiſtit) deſtitui. Inde etiam eſt, quòd in *d. l. 61.* non dicatur, *neminem paciſci poſſe*, ſed *neminem paciſcendo efficere poſſe &c.* quô ipsô non inutilitas pacti aſſeritur, ſed efficacia eidem denegatur. Utcunque verò ſit, pacta ſeria & deliberata, etiamſi in ſenſu Juris Romani nuda audiant, in foris Germaniæ, obligationem & actionem efficacem producere, quilibet præjudicio vacuus, hodie agnoſcit. (m) Ipſam quoque banni molendinarii quaſi poſſeſſionem, actuali aditione molendini, tum & prohibitione cum alterius patientia conjunctâ, acquiri, aliunde notum eſt.

§. XII.

Quid præſcriptio operetur?

Supereſt, ut de eo adhuc diſpiciamus, quomodo *ban-*

(k) Ut vult Ant. Faber *in rational. ad d. l. 61.* Nec Buſii objectio rem conficit, ad *d. l. 61.* ſcribentis, de pacto nudo vel ideò ſermonem eſſe non poſſe, quia aliàs in *d. l. 61.* nulla dubitatio ſubfuiſſet; cum enim ſtipulationis ea vis ſit, de pacto nudo omninò dubitari potuit.

(l) Id quod Cujacius de ſtipulatione pœnali perperam explicavit, cùm verbô ſtipulationis ſimpliciter poſitô, pœnalem intelligi, Juris ratio & uſus loquendi non patiantur.

(m) Add. Bornius *d. cap. 5.* ubi etiam efficaciam juratæ promiſſionis, nec non quid jura requirant, ſi in pago aliave communitate bannum molendinarium conſtituatur, an & tunc majora numero ſuffragia valeant pro univerſis, pluribus expoſuit.

bannum molendinarium mediante præſcriptione inducatur. Quòd enim eâ accedente induci poſſit, agnoſcunt omnes, quotquot de molendinis in genere, & de bannariis in ſpecie commentati ſunt. (n) Quemadmodum verò, ceu ſupra *§. IV.* vidimus, ſola molendini viſitatio, etiamſi per tempus immemoriale repetita fuerit, jus banni molendinarii non infert, ità facilè liquet, ante omnia requiri, ut prohibitio, ſeu coactio, ſubditis, vel aliis quibuſcunque facta ſit, tum & horum patientia, per tempus lege definitum acceſſerit: etenim, ut Mevius *d. Deciſ. 60. num. 8.* probè obſervavit, ex actibus voluntariis libertas non amittitur, ſed ex coactis, quibus patientia acceſſit; per prohibitionem verò & patientiam quaſi poſſeſſio inducitur, quæ ſi per tempus legitimum duravit, jus prohibendi tribuit. Neque tamen ut omnibus, qui ſunt de pago vel communitate aliquâ, prohibitio facta ſit, præcisè requiritur, ſed ſufficit, ſi majori parti, vel uni tantùm, quâ membro communitatis (o) facta ſit, modò ad reliquorum notitiam pervenerit, & illi per tempus præſcriptioni ſufficiens, pariter acquieverint. (p) Eâdem ratione nec illud requiritur, ut prohibitio aliquoties repetita ſit, ſed ſi vel unica fuerit, ad hoc, ut alter in quaſi poſſeſſione juris prohibendi conſtituatur, ſufficere poterit: ſive etiam generalis, ſive ſpecialis, ſive judicialis, ſive extrajudialis fuerit, perinde erit. (q) Quoad tempus verò præſcriptioni banni mo-

(n) Vid Mevius, *d. Deciſ. 60.* Hering. *d. quaſt. XI. num. 108.* Carpzov. *d. Reſp. 43. num. 14.* Bornius *d. l. §. 14.*

(o) Quô ipſô, ea, quæ Roſenthal. *de feudis cap. 5. concl. 27.* aſſerit, ſententiæ noſtræ non obſtant.

(p) Conf. Hering. *d. l.* Carpzov. *lib. 1. Re. 66. num. 18.* Theſſaur. *Deciſ. 16. num. 7.*

(q) Vid. Roſenthal. *d. concl. 25.* Hering. *d. l.*

Digitized by Google

ni molendinarii præſtitutum, non idem ſentiunt Dd. cùm enim jus ipſum incorporale ſit, & quatenus in alieno exercetur (r) ſpeciem ſervitutis referat, eædem diſſenſiones, quæ circa præſcriptionem ſervitutum Dd. in diverſa trahunt (s) & hîc ſubintrant. Sicut autem Juri Rom. convenientiſſima eſt ſententia, ſi titulus adſit, accedente bonâ fide, decem annos inter præſentes, viginti inter abſentes ſufficere, ſin titulus abſit, triginta annorum decurſum deſiderari, per *l. fin. C. de præſcript. longi temp.* quâ diſertè definitum eſt, quæ circa res ſoli obtinent, eadem quoque circa præſcriptionem rerum incorporalium, & quæ in jure conſiſtunt, obſervanda eſſe. Praxis è contrario inter ſervitutes continuas & diſcontinuas diſtinguit, & *illas* longo tempore, *has*, ſi titulus adſit tempore longiſſimo, eô verò deficiente immemoriali tempore acquiri ſtatuat. (t) Facilè indè judicari poterit, quid de præſcriptione banni molendinarii dicendum ſit, & quô intuitu ad illius acquiſitionem Mevius *d. Deciſ. 60.* aliique, tempus longiſſimum requirant. Denique nec illud prætermittere poſſumus, requiſita factæ prohibitionis, & patientiæ eidem relatæ, nec non temporis lapſum ab allegante probanda eſſe, (u) ità tamen, ut ſi quis extremitates quaſi-poſſeſſionis probaverit,

(r) Add. Rutgers. Ruland. *de Commiſſar. part. 3. Lib. 3. cap. 1.*

(s) Quas Hertius *Diſſert. de ſervitute facto conſtituta ſect. 2.* prolixè recenſuit.

(t) Vid. Mevius *part. 9. Deciſ. 164.* Gail. *lib. 2. Obſerv. 66.* & alii apud Hertium *d. ſect. 2. §. 4.*

(u) Sixtinus *de Regal. lib. 2. cap. 3. num. 64.* Roſenthal *d. l.* Carpzov. *lib. 1. Reſp. 66.*

baverit, onus probandi interruptionem, in adverſarium devolvatur. *(x)*

§. XIII.

Banni molendinarii effectus.

Poſtquàm hactenus modos, quibus *bannum molendinarium* introducitur, ſeorſim expendimus, juris ità conſtituti effectus, contraria & affinia paucis adhuc perluſtrabimus.* Et quidem, effectus banni molendinarii quod attinet, remedia pro eôdem aſſerendo & defendendo in Jure comparata prolixè hîc non enumerabimus: *(y)* ſufficere nobis poterit, primarium banni ſic acquiſiti effectum eſſe obligationem, quâ devincti, pro frumento ſuo conterendo aliò divertere nequeunt, & ſi migratis Legibus aut pactis, tale quid de facto præſumant, legitimis mediis compelli poſſunt. In ſpecie verò quòd molendini bannarii viſitatio, ſub pœna jacturæ frumenti injungi poſſit, ſuprà jam obſervavimus. Reliqua media refractarios coërcendi, aliunde nota ſunt. Illud heic loci prætertire non poſſumus, quòd bannum molendinarium legitimè acquiſitum, jus tribuat, vicino, aliud molendinum extruere volenti, novum opus nunciandi, ſiquidem ità noviter ædificans, vel ipſe ad molam bannariam pertineat, vel ſuſceptum novum molendinum ità ſitum fuerit, ut niſi ædificans illud otioſum eſſe velis, molentes, die Mahl-Gäſte/ ex diſtrictu ad molam bannariam pertinente confluere debeant; utrôque caſu verò, illi qui per novi molendini

---

(x) Vid. Carpzov. *p. 3. C. 3. Def. 26.*

(y) Poſtquàm P. Müllerus, *d. Diſſert. ſect. 4.* eadem prolixè jam recenſuit.

lendini extractionem læditur, remedia juris, contra attentantem comparata, denegari nequeunt. (z)

§. XIV.

Inter modos, quibus obligatio ad molendinum bannarium eundi ceſſat, Dn. Beierus (a) primo locô caſum retulit, ſi quis in eo diſtrictu, ad proprium & familiæ ſuæ uſum molendinum ſibi extruxerit, quòd enim tunc frumentum aliò molendum mittere non cogatur, partim teſtimoniô Hondedei *Volum. 2. Conſil. 84. num. 58.* partim hâc ratione probâre nititur, quoniam ad uſus proprios quodlibet opificium à quolibet exerceri poſſit, niſi abſque periculo v. gr. incendii, vel ſimili exerceri nequeat. Aſt enim verò circa præfatum caſum meritò ſubſiſtimus: primò enim Hondedei ſingularis opinio rem non conficit, deinde, ſi vel maximè allegata ratio id efficeret, ut privatus in ſuo fundo molendinum ad proprios uſus ſibi extruere valeret, de quo nunc quidem non diſquirimus, attamen ad exemtionem à neceſſitate molendinum bannarium adeundi, nihil inde poterit inferri, ſiquidem banno molendinario devincti, hac obligatione ſemetipſos liberare, aut quidquam facere nequeunt, quo jus alteri quæſitum intervertatur, aut diminuatur, quòd tamen tali in caſu, contra manifeſtam æquitatis rationem, haud dubiè fieret. Reliquos modos, quibus prædicta obligatio ceſſat, ab aliis fuſius jam expoſitos, per ſaturam indicâſſe ſufficiet, ſunt autem ſequentes: (1.) ſi ad molendinum Contraria.

C 3 banna-

(z) Conf. Stryckii Differt. *de jure prohibendi extruct. molendini cap. 2. §. 9.* & *Uſus Pandect. Modernus tit. de N.O.N. §. 11.* & *tit. ne quid in flum. publ. §. 12.*

(a) *Specim. Jur Germ. d. cap. 7. §. 30.*

bannarium tutus non pateat aditus, (2.) ſi id ipſum omni frumento conterendo non ſufficiat, quod fieri dicitur, ſi molentes ultra 24. horas expectare teneantur, quô tamen in caſu alicubi à molitore bannatio teſſeram impetrare tenentur, aliâ molâ uſuri. [3.] Si molentes defraudentur, damno afficiantur, aut merces inſolita exigatur. [4.] Si dominus molæ bannariæ jus cogendi expreſsè, vel tacitè remiſerit. [b]

§. XV.

Affinia. Denique, ut finiamus, jura potiora, banno molendinario affinia, adhuc enumerabimus. Pertinent eò non ſolùm furni bannarii, [c] ſed etiam menſæ lanionum bannariæ; [d] torcularia bannaria, Zwang-Keltern/ [e] nec non jus cereviſiæ vel vini bannarii, die Zwangs-Gerechtigkeit / in einer gewiſſen Schencke Wein oder Bier zu kauffen. [f] Quæ ſingula latius proſequi, inſtituti ratio nunc quidem haud permittit.

TANTùM!

COROL-

(b) Conf. Bornius *d. cap.* 5. Leiſerus *d. cap. 15. num. 100. & ſeq.*

(c) De quibus Stryckii *Diſſertat. de jure furnorum* conſulenda.

(d) Vid. *Capit. 69. X. de appellat.* ubi ſub nomine carnificis pro ſtylo illius ævi, lanio denotatur.

(e) Vid. Myleri *Metrologia cap. 18. §. 4. & cap. 19.*

(f) Cujus mentio jam tum fit in diplomate Henrici V. Imp. apud Lehmann. *Chron. Spir. Lib. 4. cap. 22.* nec non in diplomate Friderici Epiſcopi Spirenſis de anno 1284. apud eundem *Lib. 5. cap. 121.* Idemque jus multis in locis hodienum exercetur, nominatim Cœnobium Solitarienſe, Comitatûs Hanovienſis, eôdem pluribus in locis adhucdum gaudet. Confer. Myler. *d. l.* Schilter *ad ff. Exerc. 18. §. 4.*

Digitized by Google

COROLLARIA.

I.

Sicut hodie privati ſine Principis conceſſione molendina de novo extruere non valent, ità nec vetera, in aliam ſpeciem mutare queunt.

II.

Molendina fundo affixa, cum fundo in feudum data cenſentur; aliud vero de navalibus dicendum, niſi hæc bannaria ſint, vel aliàs perpetui uſus gratia eò deſtinata.

III.

Quoad jura, quæ per intervalla temporum renaſcuntur, ad quamlibet annuam præſtationem vel penſionem propria requiritur præſcriptio: ita ut tot præſcriptiones & tempora præſcriptionum deſiderentur, quot ſunt annuæ præſtationes.

IV.

De Jure Civili petitorium cum poſſeſſorio nunquam cumulari poteſt: de Jure vero Canonico, quoad interdicta adipiſcendæ vel recuperandæ poſſeſſionis cumulatio illa procedit.

V.

Aſſertum Lauterbachii in prolegom. Colleg. Theor. Pract. §. 4. fruſtrà ætatem, qua JCti veteres in Digeſtis laudati vixerunt, in ſubſidium vocari, nec ex ſingularibus legum inſcriptionibus & locis unde deſumtæ, eaſdem reſtringi, aut conciliari poſſe: *tantò JCto indignum eſt.*

VI.

Hiſtoria Eccleſiaſtica, ut Theologis, ità & JCtis ſcitu quàm maximè neceſſaria eſt: utriſque certè utiliſſimam præſtat operam.

Dum

Digitized by Google

DUm TU poſt operum decurſos rite labores
Monſtras ingenii judiciiique decus.
Acer & exultas Themidis Bellator in armis,
Vis quoque candoris publica vota mei.
Qui non ignavus ſacratum inſiſtere limen
Juſtitiæ ſtuduit, ſedulitatis amans:
Quem Splendor, Pietaſque *Patris*, clareſcere cenſu
Exacuit proprio; Jubila quemque juvant;
Huic facilis dat vota manus: quia Fata merentes
Sponte ſuâ donis accumulare ſolent.

Pereximio hujus Diſſertationis Auctori mox abituro, plurima ominatus, pauca ſcribebat

HENRICUS PHILIPPUS ZAUNSCHLIFFERUS.
J. U. L, Philoſ. Prof. Ordin. & Univerſit. Syndicus.

NUnquam languidulis meritas decerpere lauros
Ceu laudis licuit ſigna, laboris erant.
Antiquis pariterque hodie, ut ſunt ſedulitatis;
Et quibus ulla fuit non operoſa dies.
Nec te, languidulè duxiſſe per otia mentem,
Nec corpus, GRIMMI, teſtificatur opus.
Sed ſtimulis tua mens generoſa bonis ſuperare
Infractam potuit, proh! quia quamque operam?
Certè opus eſt magni moliminis altius & quam
Ætas ipſa jubet durius utque tamen
Jam ſuperas, pretium perges nec vile referre
Quum cernas cœptis littora propè tuis.
Quô ſimul & meritis, ſimul & virtutibus anni
Pergant, atque ſuo ſpontè ſequatur honos,
I foveat, faveatque diu meritisque coruſcet
Alma tuis, tanto ſplendida depoſito.

Paucis hiſce gratulatoriis, ſimul ac valedictoriis ſui memoriam commendant,

COMMENSALES.

VA 1 152249 8